

bere audeant, quae fideles sunt, vel litteras alicujus pacificas ad suum solum nomen scriptas accipiant.

APÉNDICE NÚM. 5.

Persecucion de Osio segun san Atanasio.

(*Sancti Athanasii opera. — Historia Arianorum ad Monachos: ex edit. Maurina: Paris, 1698, t. I, pag. 368.*)

§ 42, 43, 45 et 46. — Post talia tamque multa facinora nihil se perfecisse rati impii, quamdiu magnus Osius eorum malignitatem expertus non esset; ad tam venerabilem senem furorem suum propagare studuerunt: non patrem Episcoporum, non confessorem virum reveriti sunt, non Episcopatus tempus, in quo plus sexaginta annos exegerat, erubuere, sed posthabitis despectisque caeteris omnibus, sola haeresis cordi fuit: homines sanè, qui nec Deum timent, neque hominem reverentur. Constantium igitur adeuntes, his sermonibus alloquuntur. — Nihil non egimus: Romanorum Episcopum in exsilium ablegavimus, et ante illum permultos alios Episcopos: omnia loca formidine replevimus. Sed nihil nobis tanta sua gesta juvabunt, nihil dum à nobis rectè factum, quamdiu Osius illaesus remanserit. Nam dum apud suos ipse degit, omnes in suis Ecclesiis remanent, potest quippe ille verbo fideque sua omnes adversum nos inducere. Hic et synodis praeesse solet, ejusque litteris ubique omnes obtemperant. Hic Nicoenam fidem edidit, Arianosque ut haereticos ubique habuit. Si igitur remanserit ille, inutile nobis fuerit aliorum exsilium: mox enim de medio tollenda nostra haeresis est. Et hunc ergo persequi incipias: nec virum quamvis aetate grandaevum miserere, nescit quippe nostra haeresis vel senum canitiem venerari.

His auditis Imperator, nihil cunctatus, cum virum senisque gravitatem probè nosset litteris illi suis praecepit ut se conveniret, quo tempore Liberium pertentare incipiebat. Accedentem illum rogabat solitisque verbis, quibus scilicet alios decipere consueverat, hortabatur, ut adversum nos scriberet et cum Arianis communicaret.

Senex qui rei hujusce vel auditum aegrè ferret, indignatus quod hujusmodi quidpiam vel proferre ausus fuisset; Imperatorem verbis

suis perculsum de sententia deduxit, atque ita in patriam et in Ecclesiam suam remigravit. Sed cum haeretici haud sine querelis et lamentis denuò instigarent, hortarenturque Eunuchi ut magis, magisque concitarent, litteras demum Imperator mittit, interminaturque: hinc Osius afficitur contumeliis neque tamen insidiarum metu de sententia dimovetur. Sed cum perstaret firmus in proposito suo: cum fidei suae domum supra petram aedificasset, nihiloque validiores quam stillas, ventorumque flatus epistolarum minas reputaret, cum fiducia adversus haeresim loquutus est. Plerisque igitur à Constantio missis epistolis, ubi modò virum adulabatur quasi patrem, modò minabatur, exulesque nominabat, haec aiens: Tu ne solus etiamnum haeresi infestus permanebis? Obsequere ac scribe contra Athanasium: quicumque enim adversus illum scripserit, hic planè arianicè nobiscum sentiet; nihil deformidavit Osius, sed, tametsi contumeliis lacessitus, haec scripsit. Ejusque nos epistolam legimus... (*La carta de Osio que san Atanasio colocó al fin de la Historia del Arianismo la intercalaron los copistas en este paraje: puede verse traducida al castellano en el tomo X de la España sagrada, trat. 33, cap. 5, n. 37, por lo que no la insertamos aquí.*)

45. Haec illa fuit Abrahamici senis verè Osii¹, id est, Sancti, sententia. Ille verò nec insidiarum finem fecit, neque desiit obtentum adversus illum perquirere; sed perstitit gravitèr interminando, ut eum aut vi à sententia deduceret, aut non obsequentem pelleret in exsilium. Ac quemadmodum Babylonici Duces et Satrapae, cum incusandi Danielis occasionem captarent, nonnisi in lege Dei sui illam invenerunt; ita et nunc impietatis Satrapae nullam aliam potuere adversus senem vel cominisci.

Nulli quippè notus non erat ille verè Osius, id est, Sanctus, cujus inculcata vita erat, nisi eo nomine, quod haeresim odio haberet. Hunc itaque calumniatur, non perinde atque ille Dario delatus fuit, invitus quippè Darius criminationem in Daniele audivit: sed sicut Jezabel Nabothum ac ut Judaei apud Haerodem, his verbis: Non modò non subscripsit ille adversus Athanasium, sed nos etiam ejus gratia damnat: itaque haeresim aversatur, ut caeteros litteris hortetur, necem ut potius subeant, quam veritatis proditores evadant. Nam,

¹ Obsérvense estas palabras de san Atanasio que no hubiera proferido seguramente á ser cierta su apostasia posterior.

ait ille, veritatis causa dilectus noster Athanasius persecutionem sustinet insidiaeque tenduntur Liberio Romano Episcopo, aliisque universis. Haec cum audisset impietatis patronus haeresisque Imperator Constantius, maximèque cum comperisset alios esse in Hispaniis, qui ejusdem atque Osii sententiae essent, tentatos illos ut subscriberent, cum non valuisset eos vi adducere arcessit Osium: quem exsilii vice anno integro Sirmii detinet, nec Deum metuens impius homo neque Patris erga Osium affectum reveritus improbus ille, neque senectutem (centenarius quippè erat) veneratus, vir inhumanus. Haec namque omnia haereseos gratia nihilo fecit, novus ille Achab, aliusque nostri aevi Balthasar. Tantam enim Seni vim intulit tamdiùque illum detinuit ut malis oppressus vix tandem cum Valente et Ursacio communicaret, *neque tamen suscriberet contra Athanasium*. Sed eam rem minimè neglexit senex: instante quippè morte, vim sibi illatam quasi testamento declaravit, Arianamque haeresim ferrii anathemate, vetuitque nequis illam reciperet.

46. Quis haec si videat, vel solum audiat, non obstupescet ad Dominumque clamabit: *Nim ad internectionem dabis Israël?* Quis haec animadvertens non opportunè ad Dominum exclamabit: *Stupor et horribilia facta sunt super terram, et obstupuit coelum super hoc, et terra vehementer exhorruit?* Patres populorum et fidei Magistri tolluntur, impiique in Ecclesias intruduntur. Quisnam, ubi vidit Liberium Romanum Episcopum in exsilium ejici, aut Patrem Episcoporum magnum Osium tantis affici malis: quis cum cerneret tam multos Episcopos ex Hispania et ex aliis partibus extorres fieri, non exploratum habuit etiamsi modico sensu praeditus esset, criminationes in Athanasium in aliosque allatas, confictas fuisse, omniaque calumniae plena? Ideo enim illi omnia mala perferenda putarunt, quòd insidias ex eorum sycophantia structas compertas haberent. Quod enim Liberii crimen? quae adversus senem Osium criminatio? quis Paulino, Lucifero, Dionysio et Eusebia vel falsum scelus imposuit? aut quae culpa aliorum exsulorum Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum? nulla sanè fuit, absit! Non enim criminis cujuspiam causa conspirationes conflatae sunt, neque ob allatas criminationes singuli extorres sunt facti: sed nihil aliud illud est quam eruptio impietatis adversus pietatem, studiumque erga haeresim Arianam, praeludique adventus Antichristi cui viam praeparat Constantius.

APÉNDICE NÚM. 6.

Símbolo de fe en España segun el concilio I de Toledo.

Explicit constitutio Toletani concilii.

Incipit regula fidei catholicae contra omnes haereses, et quàm maximè contra Priscillianos, quam Episcopi Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitani, et Baetici fecerunt, et cum praecepto Papae urbis Romae Leonis, ad Balconium Episcopum Galliciae transmiserunt. Ipsi etiam et supra scripta viginti canonum capitula statuerunt in concilio Toletano.

Credimus in unum Deum Patrem, et Filium et Spiritum sanctum, visibilium, et invisibilium factorem; per quem creata sunt omnia in coelo et in terra: hunc unum Deum, et hanc unam esse divinae substantiae Trinitatem: patrem autem non esse ipsum filium, sed habere filium, qui pater non sit: filium non esse patrem, sed filium Dei de patris esse natura: spiritum quoque paraclitum esse, qui nec pater sit ipse, nec filius, sed à patre filioque procedens. Est ergo ingentus pater, genitus filius, non genitus paraclitus; sed à patre filioque procedens. Pater est, cujus vox haec est audita de coelis: *Hic est filius meus in quo mihi bene complacui, ipsum audite*. Filius est, qui ait: *Ego à patre exivi, et à Deo veni in hunc mundum*. Paraclitus spiritus est de quo filius ait: *Nisi abiero ego ad patrem, paraclitus non veniet ad vos*. Hanc Trinitatem personis distinctam, substantià unitam, virtute, et potestate, et majestate indivisibilem, indifferentem; praeter hanc nullam credimus divinam esse naturam, vel angeli, vel spiritus, vel virtutis alicujus, quae Deus esse credatur. Hunc igitur filium Dei, Deum natum à patre ante omne omninò principium, sanctificasse uterum Mariae virginis, atque ex ea verum hominem, sine virili generatum semine suscepisse; duabus dumtaxat naturis (id est), deitatis, et carnis in unam convenientibus omninò personam (id est) dominum nostrum Jesum-Christum: nec imaginarium corpus, aut phantasmatis alicujus in eo fuisse, sed solidum, atque verum: hunc et esurisse et sitisse, et doluisse, et flevisse, et omnes corporis inju-

rias pertulisse; postremò à Judaeis crucifixum; et sepultum tertiâ die resurrexisse; conversatum postmodum cum discipulis suis, et quadragesima post resurrectionem, die, ad coelum ascendisse: Hunc filium hominis etiam Dei filium dici; filium autem Dei dominum filium hominis appellamus. Resurrectionem verò futuram humanae credimus carnis, animam autem hominis non divinam esse substantiam aut deiparem, sed creaturam dicimus divinâ voluntate creatam.

Si quis autem dixerit, aut crediderit, à Deo omnipotenti mundum hunc factum non fuisse, atque ejus omnia instrumenta, anathema sit.

Si quis dixerit, atque crediderit, Deum patrem eundem esse filium, atque paraclatum, anathema sit.

Si quis dixerit, vel crediderit, Dei filium eundem esse patrem, vel paraclatum, anathema sit.

Si quis dixerit, vel crediderit, paraclatum, vel patrem esse, vel filium, anathema sit.

Si quis dixerit, vel crediderit, carnem tantum sine anima à filio Dei fuisse susceptam, anathema sit.

Si quis dixerit, vel crediderit, Christum innascibilem esse, anathema sit.

Si quis dixerit, vel crediderit, deitatem Christi convertibilem esse, vel passibilem, anathema sit.

Si quis dixerit, vel crediderit, alterum Deum esse priscoe legis, alterum evangeliorum, anathema sit.

Si quis dixerit, vel crediderit, ab altero Deo mundum factum fuisse, et non ab eo, de quo scriptum est: *In principio fecit Deus coelum et terram*, anathema sit.

Si quis dixerit, vel crediderit, corpora humana non resurgere post mortem, anathema sit.

Si quis dixerit, vel crediderit, animam humanam Dei portionem, vel Dei esse substantiam, anathema sit.

Si quis dixerit, vel crediderit, alias scripturas praeter quas Ecclesia catholica recipit, in auctoritate habendas, vel esse venerandas, anathema sit.

Si quis dixerit, vel crediderit, deitatis, et carnis unam esse in Christo naturam, anathema sit.

Si quis dixerit, vel crediderit, esse aliquid, quod se extra divinam Trinitatem possit extendere, anathema sit.

Si quis Astrologiae, vel Mathesi existimat esse credendum, anathema sit.

Si quis dixerit, vel crediderit, conjugia hominum, quae secundum legem divinam licita habentur, execrabilia esse, anathema sit.

Si quis dixerit, vel crediderit, carnes avium, vel pecorum, quae ad escam datae sunt, non tantum pro castigatione corporis abstinendas, sed execrandas esse, anathema sit.

Si quis in his erroribus Priscilliani sectam sequitur, vel profitetur, aut aliud in salutari baptismo, contra sedem sancti Petri faciat, anathema sit.

APÉNDICE NÚM. 7.

Epistola LII S. Hieronymi ad Lucinium.

Nec opinanti mihi, subito litterae tuae redditae sunt: quae quanto insperatae, tanto gaudiorum plenae, quiescentem animam suscitaverunt; ut statim amore complecterer, quem oculis ignorabam, et illud mecum tacitus mussitarem: *Multi de Oriente et Occidente venient, et recumbent in sinu Abrahae.* Cornelius centurio cohortis Italicae, jam tunc Lucinii mei praefigurabat fidem. Apostolus Paulus scribens ad Romanos: *Quum in Hispaniam proficisci coepero, spero quod praetereans videam vos, et à vobis deducar illuc*, tantis fructibus approbavit, quid de illa provincia quaereret. In brevi tempore ab Jerosolymis usque ad Illyricum Evangelii jaciens fundamenta, Romam vincituro ingreditur; ut vincituros superstitionis erroribus liberos faciat. Manet in hospitio conducto per biennium; ut nobis utriusque Instrumenti aeternam reddat domum.

Habes tecum prius in carne, nunc in spiritu sociam; de conjugio germanam; de femina virum; de subjecta parem: quae sub eodem iugo ad coelestia simul regna festinat. Tantae rei familiaris dispensatio, et ad calculos rediens, non citò deponitur. Joseph cum tunica Aegyptiam effugere non potuit. Adolescens ille, qui opertus sindone sequebatur Jesum: quia tentus fuerat à ministris, terrenum abiciens operimentum, nudus evasit. Elias igneo curru raptus ad coelum, melotem reliquit in terris. Eliseus boves, et juga prioris operis ver-

tit in vota. Loquitur sapientissimus viae: *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea.*

Opuscula mea, quae non sui merito, sed bonitate tua desiderare te dicis, ad describendum hominibus tuis dedi, et descripta vidi in chartaceis codicibus: at frequenter admonui, ut conferrent diligentius, et emmendarent. Ego enim tanta volumina prae frequentia comitantium et peregrinorum turbis relegere non potui: et ut ipsi probavere praesentes, longo tentus incommodo, vix diebus quadragesima, quibus ipsi proficiscebantur, respirare coepi. Unde si paragrammata reperiris, vel minus aliqua descripta sunt, quae sensum legentis impediunt, non mihi debes imputare, sed tuis, et imperitiae notariorum, librariorumque incuriae: qui scribunt non quod inveniunt, sed quod intelligunt; et dum alienos errores emmendare nituntur, ostendunt suos. Porro Josephi libros, et sanctorum Papias et Polycarpi volumina, falsus ad te rumor pertulit à me esse translata: quia nec otii, nec virium est, tantas res eadem in alteram linguam exprimere venustate. Origenis et Sancti Didymi pauca translulimus, volentes nostris ex parte ostendere, quid Graeca doctrina retinent. Canonem Hebraicae Veritatis, excepto Pentateucho, quem nunc in manibus habeo, pueris tuis et notariis dedi describendum. Septuaginta Interpretum editionem, et te habere non dubito, et ante annos plurimos diligentissime emmendatam, studiosis tradidi. Novum Testamentum Graecae reddidi auctoritati. Ut enim veterum librorum fides de Hebraeis voluminibus examinanda est, ita novorum Graeci sermonis normam desiderat.

De sabbatho quod quaeris, utrum jejunandum sit: et de Eucharistia, an accipienda quotidie, quod Romana Ecclesia et Hispaniae observare prohibentur, scripsit quidem et Hippolytus vir disertissimus; et carptim diversi scriptores à variis auctoribus edidere. Sed ego illud breviter te admonendum puto, traditiones Ecclesiasticas (praesertim quae fidei non officiant) ita observandas, ut à majoribus traditae sunt: nec aliarum consuetudinem, aliarum contrario more subverti. Atque utinam omni tempore jejunare possimus, quod in Actibus Apostolorum Paulum, et cum eo credentes fecisse legimus. Nec tamen Manichaeae haereseos accusandi sunt, quum carnalis cibus praeferrere non debuerit spirituali. Eucharistiam quoque absque condemnatione nostris, et pungente conscientia, semper accipere, et

Psalmistam audire; dicentem: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus*, et cum eo canere: *Eruclavit cor meum verbum bonum*. Nec hoc dico, quod diebus festis putem; et contextas quinquaginta diebus ferias auferam: sed unaquaeque provincia abundet in sensu suo, et praecepta majorum, leges Apostolicas arbitretur.

Duo palliola, et amphimalum de tuis usibus vel utenda, vel sanctis danda suscepi. Ego insignia paupertatis, et quotidianae symbola poenitentiae, tibi et sorori tuae misi: quatuor ciliciola apta proposito et usibus vestris: et codicem, hoc est, visiones Isaiae valde obscurissimas, quas nuper historica explanatione disserui: ut quotiescumque mea opuscula videris, toties amici dulcissimi recordatus, navigationem quam parumper distuleras, pares. Et quia non est in homine via ejus, et à Domino gressus hominis diriguntur, si forte (quod procul absit) aliquid fuerit impedimenti, quaeso ut quos charitas jungit, terrarum longitudo non separet: et absentem Lucinium nostrum, semper praesentem litterarum vicissitudine sentiamus.

APÉNDICE NÚM. 8.

Cánon penitencial de España con arreglo á los tres concilios del siglo IV y segun la duracion de la penitencia.

Un año de penitencia.

Las doncellas que perdian su virginidad, si lograbán casarse con su seductor. (*Cánon 14 de Elvira*).

Los Magistrados y Duunvros no debían presentarse en la iglesia durante el año de su cargo. (*Cánon 56 de Elvira*).

Los que jugaban dinero á los dados, porque en vez de números tenían pintados varios símbolos de las divinidades gentílicas á las que invocaban los jugadores. (*Cánon 79 de Elvira*).

Dos años.

Los sacerdotes de los gentiles que despues de su conversion seguían llevando corona, pero no sacrificaban. (*Cánon 55 de Elvira*).

El testigo falso, si no era en causa de muerte y declaraba su delito. (*Cánon 74 de Elvira*).